

cessarium ex aliqua radice, seu origine indifferenti (ut sic dicam), seu communi bonis et malis actibus, alias non minus Deo tribui possent mala quam bona, quod perabsurdum est, non solum de malis ut mala sunt, sed etiam de ipsis actibus qui sine malitia non fiunt, ut ibidem ostendi. Sumitur autem hæc regula ex Augustino, libro de Grat. Christi, capite decimo-septimo, quatenus Pelagium, qui dicebat ideo bonam operationem non tantum nobis, sed etiam Deo tribui, quia posse nobis donavit, impugnat; nam hoc modo etiam mala operatio tribuenda esset Deo et nobis, quia illud etiam posse nobis donavit: *Atque ita, inquit (quod absit), quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, sic cum illo culpamur in malis, possibilitas enim illa quam dedit, tam nos facit posse bona quam mala*; sic ergo nos dicemus; efficacitas enim illa, quam per concursum prævium dat, tam nos facit mala velle aut facere quam bona; utrumque enim de malis eadem ratione et proportionem intelligendum erit, utique de actibus malis; nam, juxta doctrinam Augustini, possibilitas malitiæ moralis, ut talis est, non ex Deo est, sed quia sumus ex nihilo. Et eandem rationem ac regulam repetit Augustinus, eodem libro, cap. 27, et eodem modo libr. de Spirit. et litter., cap. 34, tractans verba Pauli: *Quis enim te discernit?* attingit expositionem quæ cogitari posset, dicendo, ideo discretionem tribui Deo, licet fiat per liberum arbitrium, quia Deus dedit liberum arbitrium; et refutat, quia liberum arbitrium commune est bonis et malis, et ita non minus Deus diceretur auctor mali quam boni, si solum ratione liberi arbitrii dictum esset: *Quis enim te discernit?* unde concludit non dici homini fideli: *Quis te discernit?* quia liberum arbitrium recepit, quo posset credere, sed ideo: *Quia visorum suasionibus agit Deus ut credamus*, etc. Ergo a fortiori si diceretur fideli: *Quis te discernit?* quia per concursum prævium efficacem Deus determinat voluntatem ejus ad credendum, pari ratione, infidelis qui credere noluit dicere posset: Deus me discevit, quia meam voluntatem efficaciter prædeterminavit, ut nollem credere.

8. *Exploditur responsio aliquorum.* — Et eodem modo, lib. 2 de Peccat. merit., cap. 18, explodit responsionem dicentium bonum actum voluntatis tribui Deo, quia dat et conservat voluntatem, sine qua actus ille bonus esse non posset, quia hoc commune est actibus malis, et ita malus actus tribuendus esset Deo,

quod (inquit) nefas est dicere. Est ergo regula constans in doctrina Augustini, efficaciam illam, ob quam boni actus specialiter tribuuntur Deo, non esse ponendam in aliqua effectione vel motione Dei, ex genere suo communi bonis actibus et malis: concursus autem causæ universalis et prævius efficax, si datur, communis est, servata proportionem, actibus malis et bonis. Non igitur recte nec consequenter ad doctrinam Augustini ponitur illa efficacitas auxilii gratiæ, in sola ratione et necessitate universalis concursus. Huc accedunt rationes præcipuæ sumptæ ex libertate auxilii ad actus gratiæ, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, quæ per illum modum efficacitæ destruitur, simulque sufficientia auxilii talem efficaciam non habentis e medio tollitur, quas rationes in capitibus sequentibus prosequemur, explicato prius alio principio, seu modo fundandi hanc sententiam.

9. Alii ergo hoc genus auxilii efficacis prædeterminantis physice requirunt, non ex indigentia concursus prævii universalis omnibus actibus, sed ex peculiari necessitate inventa in operibus bonis voluntatis. In qua etiam sententia est varietas; nam quidam existimant necessitatem hanc non esse per se ex vi et natura supernaturalium actuum, sed esse quasi per accidens ortam ex peccato originali, et corruptione lapsæ naturæ, et ita censuerunt Gregorius et Capreolus in 2, dist. 28, ad 12 argumentum. Qui proinde non solum ad supernaturales actus, sed etiam ad quoslibet bonos morales ordinis naturalis, illam præmotionem specialem Dei requirunt, non tamen in omni natura, vel in omni statu, sed in natura humana lapsa. Sed de hac sententia nihil denuo vel peculiare dicere necesse est; tum quia non pertinet ad verum auxilium efficax, quod ad omnes et singulos actus pietatis in omni creatura intellectuali, et in omni statu ejus necessarium est, ut cap. 3 declaravi; tum etiam quia sine ulla ratione vel fundamento requirit talem motionem ad singulos actus naturæ lapsæ, præsertim ordinis naturalis, si per se non est talis necessitas in omni statu liberæ naturæ, ut late in libro primo declaratum est et probatum; tum denique quia multo minus potest hoc modo ratio reddi cur, propter naturæ lapsæ corruptionem, tam efficax prædeterminatio necessaria sit, si alioqui non erat per se necessaria; nam ad supplendam debilitatem et infirmitatem lapsæ naturæ in bene operando et libere, sufficit addere vires illam

infirmitatem suppletentes et adjuvantes, etiamsi non prædeterminent voluntatem, sicut in statu innocentiae ex eorundem auctorum sententia erant vires sufficientes sine prædeterminatione. Fateor tamen me non legisse in illis auctoribus, quod expresse asserant præmotionem illam talem esse, ut omnino ac physice prædeterminet voluntatem, ita ut voluntas pro sua libertate non possit ei resistere; solum enim aiunt liberum arbitrium in natura lapsa sine illa motione bene operari non posse, non tamen dicunt cum illa non posse non operari: videtur autem id sequi ex eorum dictis, et ideo in libro primo quoad utrumque illam sententiam impugnavimus, et quoad secundam partem, quæ huc spectat, a fortiori impugnabitur simulque, cum modernorum sententia.

10. *Auxilium efficax ob peculiarem difficultatem actuum supernaturalium dicunt necessarium.* — Alio igitur modo ac fundamento asseritur necessitas talis auxilii per se efficacis ac prædeterminantis, ob peculiarem difficultatem actuum supernaturalium, quam rationem defendit Alvarez, disput. 24, num. 37, et videtur loqui de speciali difficultate quæ nascitur ex statu naturæ lapsæ, nam allegat D. Thomam 1. 2, quæst. 109, art. 9, in ratione secunda, quæ de hoc statu peculiariter procedit. Sic autem ratio non sufficit, quia gratia efficax, ut supra dictum est, in omni statu requiritur. Item, quia ad singulos actus pietatis est necessaria, quod non nascitur ex statu, sed ex natura talium actuum. Ex illa ergo sumendum est fundamentum hoc, quod potest in hunc modum explicari: quia tanta est eminentia actuum supernaturalium, ut ad eos voluntas nostra ex se sit omnino impotens, et ideo indiget supernaturali virtute, per quam totam vim agendi recipiat; ergo illi non sufficit habitualis virtus, sed quoties in actum prodire debet, indiget peculiari et actuali elevatione, quæ non potest fieri nisi per peculiarem motionem prædeterminantem; quia, si motio non sit prædeterminans, non erit actualis, nam ex se poterit esse sine actuali operatione, ac subinde per modum habitus, et tunc indigebit potentia alia præmotione actuali ut elevetur, et ne procedatur in infinitum, sistendum est in tali motione, quæ et det supernaturalem virtutem proprie efficiendi actum supernaturalem, nam hoc est necessarium ut elevet potentiam, et simul illam elevet, ut illam operari faciat efficaciter, quia alias erit necessaria alia præmotio ut voluntas inchoet suum consen-

sum, cum voluntas ex se non possit illum in supernaturalibus inchoare.

11. Hoc fundamentum non invenio ita propositum vel explicatum in defensoribus hujus prædeterminationis; insinuat tamen ab eis in aliquibus rationibus, et argumentis suis, ut infra videbimus. Atque ita fundamentum hoc reducitur ad hanc rationem theologicam, quia actus liberi gratiæ sunt supernaturales in se; ergo non possunt fieri a voluntate nisi elevata per motionem actualem ejusdem ordinis ad physice agendum, et inchoandum efficaciter actum. Et confirmatur: nam hoc maxime urget, si verum est quod nos asserimus, voluntatem in his actibus operari ut instrumentum Dei, nam instrumentum non agit nisi motum, et dum movetur non potest in sensu composito non moveri, et hoc est prædeterminari. Huic vero rationis fundamento adduntur omnia Scripturæ testimonia, in quibus soli Deo, ejusque voluntati, aut gratiæ, vel motioni, hi actus tribuuntur, et Concilia ac testimonia Patrum, præsertim Augustini et D. Thomæ; sed hæc omnia distinctius proponuntur sigillatim in variis capitibus distributa, et ideo illa nunc omitto, et ad iudicium de hac sententia ferendum accedo.

CAPUT X.

DIRECTE OSTENDITUR AUXILIUM EFFICAX NECESSARIUM AD SINGULA SUPERNATURALIA OPERA, NON POSSE CONSISTERE IN MOTIONE VEL QUALITATE PRÆDETERMINANTE PHYSICE IN ACTU PRIMO VOLUNTATEM AD CONSENSUM.

1. Duo asseruntur in sententia relata in capite præcedenti: unum est auxilium in actu primo prædeterminans voluntatem, esse possibile simul cum usu libertatis; aliud est illud esse necessarium ad singulos actus. Nam illud prius supponitur, ut fundamentum fidei non destruat; hoc vero posterius additur, quia alias per illud auxilium prædeterminans non explicaretur adæquate ratio auxilii efficacis, cum hoc ad singula opera necessarium sit, ut supra vidimus. Ex illis vero duobus, secundum est magis rigorosum, magisque restrictum, nec potest subsistere sine primo, e contrario vero primum punctum ex hypothesi posset subsistere sine posteriori, id est, licet esset verum, posset salvari sine secundo; quia quod est necessarium, etiam possibile, non vero e converso; et ideo prius de hac posteriori parte illius sententiæ dicendum est, in qua omnes

auctores, qui putant illam determinationem libertati repugnare, a fortiori tenent auxilium hoc efficax non esse necessarium: illos autem referemus in sequenti capite. Ex Theologis autem Dominicanæ familiæ, refertur Joan. Vincent. docuisse tale auxilium non esse necessarium, ac subinde auxilium efficax, per se spectatum, non esse in sola prædeterminatione physica positum. Hæc igitur sententia probanda in præsentia est.

2. *Suppositio: Auxilium prædeterminans esse aliquid supernaturale a Deo solo infusum.* — *Alia suppositio.* — Ut autem rationes firmius procedant, et tergiversationibus ac subterfugiis minus expositæ, hic operæ pretium esset de isto auxilio prædeterminante omnia inquirere, quod de prævio concursu in lib. 3, a cap. 30, tractavimus; sed quia id nimis esset prolixum, lectori committimus, ut ea omnia relegat, et ad hoc auxilium cum proportione applicet, unicuique enim mediocriter intelligenti id erit facillimum. Nunc ergo supponimus, ex communi fere consensu auctorum illius sententiæ, hoc auxilium esse aliquid supernaturale a Deo solo infusum, quia non est actio vitalis ipsius hominis, sed tantum passive in eo recipitur, ut per illud operetur. An vero illud auxilium sit qualitas vel motio pura, parum refert ad puncta theologica vel dogmata fidei, dummodo supponatur esse vera entitas creata, et homini inhærens, id enim præcipue in hac sententia supponitur. Consequenter autem loquendo, longe probabilius illud auxilium esse qualitatem, quia motio spiritualis sine termino spirituali intelligi non potest, qui terminus non potest esse nisi qualitas, ut dicto loco probatum est. Addimus præterea qualitatem hanc seu entitatem poni in re ipsa distinctam, et a subjecto in quo recipitur, quia est aliquid ordinis supernaturalis, et ab omnibus gratiis excitantibus quæ sint actus vitales, quia illis additur ut fiant efficaces, et ab habitibus infusis, ob eandem rationem, quia illos reducit de potentia in actum, et ab ipso consensu libero voluntatis, quia ponitur ut sit vera causa realis ejus. Quanta vero sit hæc distinctio, an perfecte realis, vel tantum secundum quid, et modalis, metaphysica quæstio est, in qua immorari non oportet, quia ad dogmata fidei, et veritatem theologicam, quam inquiremus, parum refert. Consequenter autem loquendo, verius ac clarius ponitur tale auxilium, ut propriam entitatem ac realitatem habens omnino realiter distinctam, tam a potentia, quam ab aliis

gratiis prioribus quæ in potentia supponuntur, quam etiam ab actu libero eliciendo a potentia, cum tali auxilio, sicut de prævio concursu dictum est. Item supponimus auxilium recipi immediate in potentia, quæ elicit actum propter quem datur; ut, si detur ad fidei assensum eliciendum, infunditur intellectui; si vero ad habendam voluntatem credendi, vel amoris, aut pœnitentiæ actum, et similes, voluntati erit immediate imprimendum; quia in illa suum proximum effectum habiturum est.

3. *Quæstio: cum voluntas habeat habitum infusum, an una motio imprimatur habitui, et altera voluntati.* — Et in hoc conveniunt dicti auctores; imo, quia determinatio proprie dicta voluntati attribuitur, et ab illa pendet omnis alia operatio humana, ideo simpliciter hoc auxilium attribuitur voluntati. Disputari autem potest, quando voluntas habet habitum infusum, an una motio imprimatur habitui, et altera voluntati. Nam Ledesma et alii ita sentiunt, quia putant auxilium hoc esse concursum prævium necessarium unicuique principio creato, seu qualitati permanenti, ex subordinatione ad causam primam. Supponendo autem non postulari hoc, ut concursus causæ primæ, sed ut dat vires causæ proximæ et potentiæ in qua recipitur, non oportet multiplicare auxilia efficacia ad eundem actum liberi consensus, vel amoris, etiamsi ad illum actum plures qualitates concurrant, scilicet voluntas et habitus; nec etiam oportet fingere dari speciale auxilium conjunctum habitui in eadem potentia, et illum efficaciter determinans.

4. *Alia suppositio.* — Unde tandem supponimus hoc auxilium esse quemdam actum formalem ipsius voluntatis, quia inhæret illi; ergo informat illam, et reducit illam de quadam potentia passiva in actum. Nam priusquam voluntati infundatur hoc auxilium, est potentia receptiva, et capax illius, et caret illo: ergo est in potentia ad illud; ergo, quando infunditur, reducit in actum, sicut mobile per motum, vel sicut materia per formam. Hic autem actus non est actus secundus voluntatis, quia ab illa non elicitur, ut dictum est; ergo est actus primus, quia non datur medium. Constituitur ergo voluntas per hoc auxilium in actu primo completo ad eliciendum suum actum. Atque ita, licet voluntas habeat habitum infusum, non habet, juxta hanc sententiam, actum primum completum, sed expectatur hoc complementum, ut sit in-

tegrum principium proximum talis actus. Si autem voluntas careat habitu, vel addendum est aliud principium quod suppleat vicem habitus, vel tale erit hoc auxilium, ut propriam activitatem afferre, et vicem habitus simul supplere possit.

5. *Auxilium dari ut actum primum, vel ut complementum virtutis causæ proximæ, qui tergiversentur.* — Non desunt tamen ex auctoribus illius opinionis qui in hoc tergiversentur, negando hoc auxilium dari ut actum primum, vel ut complementum virtutis causæ proximæ, quia non distinguunt hoc auxilium a concursu prævio, de quo ita sentiunt. Sed, ut vidimus dicto lib. 3, cap. 33, etiam de ipso concursu prævio id non satis consequenter vel probabiliter dicitur, et multo minus potest in præsentia applicari, cum jam rationem concursus excluderimus, et supponamus hoc auxilium postulari propter defectum virium causæ proximæ. Et sane, in doctrina Augustini, negari non potest quin hoc auxilium, si datur, maxime detur ut det vires voluntati. Nam in eisdem locis quibus dicti auctores utuntur, ut nobis persuadeant hanc esse sententiam Augustini, apertissime ille docet, per hoc auxilium dare Deum vires efficacissimas voluntati, lib. de Grat. et liber. arbitr., capite decimo septimo; et aliis locis, efficaciam hujus gratiæ tribuit nostrum consensum in omne bonum, quia et facit nos velle et facere. Non est ergo dubium quin hoc auxilium sit actus primus dans vires agendi voluntati, et cum illa simul efficiens actus ejus tanquam principium eorum, quod etiam de propria et physica efficientia omnes dicti auctores intelligi volunt.

6. *Istud auxilium non esse simpliciter necessarium ad singulos actus, quomodo probari possit.* — Sic ergo explicato hoc auxilio, quod non sit simpliciter necessarium ad singulos actus pietatis, duobus modis probari potest, scilicet, ostensive seu directe, et ab inconveniēti et indirecte. Prior probatio ex illo principio sumi potest, quod nihil est postulandum aut asserendum ut necessarium, quod sufficienti ratione aut medio non ostendatur necessarium; sed in præsentia nullo modo potest necessitas hujus auxilii sufficienter ostendi; ergo. Major est in philosophia receptissima, quia natura nihil facit frustra, et ideo vera philosophia non permittit multiplicare res quæ tantum propter usum dantur, nisi ad talem usum probentur necessaria, unde est axioma receptum: *Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora.* Et simili ratione

diximus in libro tertio, concursum prævium non esse credendum, nisi probetur necessarium; quia vero in Theologia, quæ auctoritate divina et sacra nititur, satis esse debet necessitatem auctoritate probare, licet ratione non convincatur, ideo contrario modo applicanda est illa major propositio ad theologikum institutum, quia in mysteriis supernaturalibus nihil affirmare possumus ut necessarium, nisi quod ut tale revelatum est, vel in revelatis continetur, vel ex iis probabilius ducitur, aut certe ad alia revelata explicanda aut defendenda est aptius, magisque accommodatum: quod ergo supernaturale fuerit, lumenque rationis naturalis excedens, si aliquo ex dictis modis non probetur necessarium, non est admittendum neque credendum.

7. *Declaratur ratio.* — Superest probanda minor, quæ primo declaratur ratione; nam duo munia possunt in illo auxilio physice prædeterminante distingui, unum est quod sit principium physicum actus supernaturalis, aliud quod habeat illam efficientiam cum determinatione ad unum quoad exercitium, ita ut in sua efficientia non subdatur libero usui voluntatis liberæ. Primum quidem directe pertinet ad dandas vires voluntati, quæ de se insufficientes est, etiam physice, ad hos actus efficiendos. Unde fatemur voluntatem humanam indigere aliquo supernaturali principio physice adjuvante illam, ad eliciendos singulos supernaturales actus. Quod autem tale principium, ut sit completum, debeat habere conjunctam secundam conditionem, non pertinet ad dandas vires voluntati, et ideo ex ea parte non est necessarium, neque etiam ob indifferentiam vel indeterminationem intrinsicam voluntatis ad velle, quia non est necesse hanc indifferentiam tolli prius natura quam operetur, imo hoc est parum consentaneum naturali conditioni, ac modo operandi illius facultatis. Nam, ut supra lib. 3 dicebamus, frustra naturæ auctor dedisset voluntati illam naturalem indifferentiam, si oporteret postea prius ab alio determinari, quam posset determinate operari, quod ibi generaliter probavimus de operibus voluntatis, et rationes ibi factæ æque in præsentia materia procedunt.

8. *Confirmatur ratio.* — Unde confirmatur hæc ratio, quia ex natura rei non est necessaria nova virtus, quando causa secunda habet intrinsicam virtutem completam in ratione principii proximi; ut, sol non indiget alia virtute suæ luci addita, nec ignis alia præter calorem suum. Quo argumento convincuntur

aliqui ex Thomistis, ut fateantur has causas non indigere concursu prævio, ut virtute agendi per modum actus primi, quia est superfluum et voluntarium tot multiplicare qualitates; sed in ordine gratiæ potest esse causa secunda completa in ratione principii agendi proximi, ut intellectus per lumen gloriæ in ordine ad visionem, et voluntas per charitatem, etc.; ergo tunc saltem non est necessaria alia qualitas ut det virtutem agendi, vel illam compleat; quod si potentia careat habitu, tunc, licet indigeat alio principio coadjuvante, non est necessarium ut illud principium sit prædeterminans voluntatem, quia sine hac determinatione potest dare vires sufficientes, etiam in ratione principii, sicut habitus dat illas.

9. *Instantia.* — *Evertitur.* — Dicitur forte neque habitum, neque aliquam aliam entitatem separabilem ab actu secundo posse dare has sufficientes vires, quia potentia ipsa semper manet inferioris ordinis, quam sit actus eliciendus. Sed contra, quia, licet mille qualitates infundantur potentiæ, semper potentia manet inferioris ordinis, semperque ejus proprius influxus est necessarius, ut sæpe tetigi, et in sequenti libro ex professo probabitur: ergo sine causa multiplicantur istæ qualitates. Nam vel ob similitudinem rationis in infinitum procedatur, vel sistendum est in una perfecta qualitate, quæ in ordine supernaturali sit integrum principium proximum ad physicam efficientiam ex parte potentiæ necessariam ad talem actum, ut est, verbi gratia, lumen gloriæ, vel charitas, vel aliquid simile, ultra quod solum desideretur concursus Dei simulaneus, juxta dicta in fine libri tertii. Ergo, ob hanc præcisam rationem, ut voluntas recipiat a Deo virtutem supernaturalem ad efficiendum physice, quam ex se non habet, non est necessaria multiplicatio qualitatum; nam per unam perfectam potest Deus totam illam virtutem donare. Neque actualis, seu transiens ultra habitualem necessaria est, quando hæc adest, quia vel esset necessaria propter indeterminationem potentiæ, vel propter subordinationem causæ secundæ ad primam; at utraque ratio exclusæ jam est in libro 3; ergo nullus superest titulus talis necessitatis respectu potentiæ constitutæ in actu primo per habitum. Respectu vero potentiæ carentis habitu infuso, licet daremus esse necessariam qualitatem, seu motionem actualem ac transeuntem, supplementem vicem habitus, non ideo esset necessarium ut illa qualitas es-

set prædeterminans voluntatem, quia sine tali conditione aut prædeterminatione posset dare vires physicas integras, et proportionatas actui supernaturali in ratione principii physici, relinquendo voluntatem integram in sua naturali potestate utendi vel non utendi principio quolibet sibi superaddito circa objectum indifferens, seu cum indifferentia judicii propositum. Adde etiam posse Deum per seipsum supplere efficientiam physicam habitus, non prædeterminando potentiam, sed quasi conjungendo se illi et offerendo suum influxum, si voluntas suum adjungere velit, ut in prolegom. 4 et in libr. 3 explicavi. Nam quoad hoc, eadem est ratio de Deo concurrente per modum causæ primæ universalis, vel concurrente per modum causæ proximæ principalis, ut in eo casu concurreret.

10. *Necessitatis principium hominis convertendi, qui magni faciat.* — Solent prædicti auctores aliud hujus necessitatis principium magni facere, nimirum divinam prædestinationem, præfinitionem, seu decretum ac propositum, seu intentionem efficacem et absolutam (hæc enim omnia, quod ad præsens spectat, in idem recidunt), qua Deus statuit hominem convertere, de qua dixit D. Thomas 1. 2, q. 112, art. 3, in fine corporis: *Si ex intentione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequatur.* Ut ergo illud propositum Dei indubitanter impleatur, necessaria est motio prædeterminans. Verumtamen neque ex hoc capite ostenditur talis necessitas, quia motio prædeterminans non est medium necessarium, ut prædestinatio et propositum Dei infallibiliter impleatur. Imo, adde neque esse proportionatum, quia prædestinatio ipsa et propositum Dei ex parte objecti includit ut voluntas humana plena libertate convertatur, et gratiam consequatur, ad quem finem non est aptum medium prædeterminatio, ut capite sequenti ostendam. Sufficit ergo motio prævia quæ suum effectum infallibiliter consequatur; merito enim D. Thomas illa voce *infallibiliter* usus est, quæ non requirit præviam determinationem in causa, sed certitudinem effectus, etiamsi causa de se indifferens sit. Unde etiam Augustinus, lib. de Dono persever., c. 14, loquens de mediis prædestinationis, dixit esse beneficia omnia, *quibus certissime liberantur quicumque liberantur*; non dixit, *quibus prædeterminantur*, vel quidpiam æquivalens, sed dixit *certissime*, quia satis est quod talia media infallibiliter sint habitura effectum in præsentia di-

vina, quod per vocationem congruam sine prædeterminatione subsistere optime potest, ut in sequentibus declarabimus. Et inde, ex responsione ad rationes alterius sententiæ, et ad testimonia quæ congerit, evidentius constabit hanc necessitatem talis prædeterminationis, nec auctoritate nec ratione probari; nolumus enim nunc ad illa argumenta et eorum solutionem digredi, ne discursum disputationis interrompamus et doctrinam confundamus.

11. *Probatum assertio auctoris ex inconvenienti.* — Secundo et præcipue probatur nostra assertio ex inconvenienti, quia, si hoc auxilium prædeterminans physice voluntatem est simpliciter necessarium ad conversionem ejus, ut supponitur, sequitur eos, quibus non datur, non habere auxilium sufficiens ad suam conversionem, ac subinde neque libere non converti, ita ut eis imputetur si non convertantur, postquam sufficienter vocati sunt. Consequens est falsum, et sine ulla contentione a catholicis Doctoribus non admittitur; ergo neque antecedens admitti debet. Probatum sequela, quia illud auxilium necessarium est, et qui illo caret non habet illud in sua potestate; ergo nec auxilium sufficiens habet, nec libertatem quoad specificationem ad habendum actum supernaturalem. Consequentia nota est ex dictis supra de libertate et auxilio sufficiente, quia voluntas non est proxime libera ad actus supernaturales, nisi actu habeat prævenientia auxilia necessaria, et in potestate sua habeat concomitantia, nam utrumque requiritur ad proximam sufficientiam auxilii. Ad sufficientiam autem ac libertatem, seu potestatem remotam, necessarium saltem est habere in sua potestate auxilium efficax. At vero qui non recipit actu auxilium prædeterminans, ex ea parte non habet potestatem et sufficientiam proximam; nec etiam habet immediate illud in sua potestate activa, quia non fit ab homine; nec etiam mediate, quia nihil potest facere quo illud consequatur; ergo nullo modo est liber cum sufficienti auxilio ad tales actus.

12. Hæc ratio exaggerata semper est a nostris auctoribus, ideoque defensores contrariæ sententiæ nos reprehendunt quod frequenter hoc argumentum repetimus, et nimium illud exaggeramus, cum ab antiquis Patribus et Doctoribus sæpius dissolutum sit. Nos autem in Patribus vel antiquis Theologis non invenimus responsum quod huic causæ possit accommodari, et in his quæ ab ipsis excogitata sunt, non quiescunt, et ideo cum res hæc multum necessaria sit ad defendenda dogmata fidei ab

hæreticis incursibus, mirandum non est quod semper instemus, a catholicis Doctoribus postulantes ut nos doceant quomodo cum necessitate talis auxilii prædeterminantis stet sufficiens auxilium et potestas libera quoad specificationem, in his quibus tale auxilium non datur. Eo vel maxime quod quidam ejusdem Dominicanæ familiæ magnus Theologus, Pater Joann. Vincent., indissolubilem reputavit hanc difficultatem; et ideo, ut Ledesma, art. 11, refert, ab illa sententia quoad hanc partem recessit, negando necessitatem talis auxilii, licet possibilitatem non negaverit, et ideo concesserit aliquibus dari: in quo non esset sibi contrarius, ut illi objicit Ledesma, si aliunde illa prædeterminatio non repugnet, quia potest Deus sua voluntate dare majus auxilium quam necessarium sit. Igitur, ommissa quæstione de possibilitate, contra necessitatem indicavit ille Theologus et Thomista rationem factam esse indissolubilem, quia libertas non est sine potestate agendi. Unde, si libertas sit quoad specificationem, cum sit ad volendum unum vel aliud, dari non potest sine potestate ad utrumque, neque etiam potestas esse potest sine sufficienti auxilio, cum sine auxilio gratiæ homo non possit hos actus operari, et ideo per auxilium sufficiens hoc posse recipi, in lib. 2 et 4 ostensum est.

13. *Responsio dictorum Theologorum prima.* — Duobus autem modis principalibus respondent dicti Theologi. Prima responsio est negando auxilium hoc efficax esse necessarium ut homo possit converti, sed tantum esse necessarium ut convertatur, et ideo ante tale auxilium, et sine illo, habere hominem auxilium quo possit converti, et ita habere auxilium sufficiens. Sicut Adam in statu innocentie non habuit auxilium efficax ad resistendum suggestioni dæmonis, et nihilominus habuit auxilium sufficiens quo posset resistere, si vellet, ut ait Augustinus de Corrupt. et grat., cap. 11. Hoc responsum tradit Cabrera supra, disp. 6, dub. 7, num. 32 et 33; et latius Alvarez, disp. 18, ad 6, et disp. 115, num. 21, dicens hanc motionem non esse necessariam ut homo possit operari, sed ut actu operetur, neque esse *in recto*, ut ait, principium activum, et ultimum complementum virtutis activæ. Similem doctrinam habet in disputatione vigesima, in solutionibus argumentorum, et aliis locis quæ ibi citat, et pro illis allegat D. Thomam, in 3 contr. gent., cap. 66, ration. 4, et quæst. de Potent., art. 7, ad 7. Sed nescio quo colore, cum nullum verbum sit ibi apud D. Thomam